



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Capitulare septimum anni DCCCIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

esse comprobare debeant. Nequaquam hoc volumus quòd servus suam chartam propriam probare debeat. Sed dominus qui ipsum servum quaerit, ipse, si poterit, ipsam chartam falsam deprehendat.

## VIII.

In octavo capitulo referebatur de servis qui francas feminas accipiunt, & postea illorum domini eis chartas faciunt eo tenore ut si aliqua procreatio filiorum aut filiarum ex ipsis orta fuerit, liberi permaneant. Et nesciunt, sicut scripsisti, utrum

habere debeant an non. Deinde volumus ut si ille homo servo aut ancillae chartam in sua praesentia fecerit, & ille vel illa qui chartam libertatis habere debet praesentes fuerint, ipsa charta stabilis permaneat. Sed qui post discessum domini sui ortus fuerit, in servitio permaneat. Et ille chartae quae à quibusdam dominis his factae fuerint qui necdum nati esse noscuntur, sed post eorum discessum nati fuerint, nullum obtineant effectum, nec per easdem chartas liberi esse valeant.

## CAPITVLARE SEPTIMVM ANNI DCCCIII.

*Nunc primum editum ex veteri codice MS. sancti Vincentij Metensis.*

## CAP. I.

## VII.

**I**N primis de banno Domni Imperatoris & Regis, quem per semetipsum conuictus est bannire, id est, de mundoburgio Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, & de minus potentum personarum, atque & de exercitali placito instituto, ut hi qui ista irruperint bannum dominicum omnimodis componant.

## II.

De decimis & nonis atque iustitia Ecclesiarum Dei, ut studeatis dare & facere sicut lex est.

## III.

Qui beneficium Domni Imperatoris & Ecclesiarum Dei habet, nihil exinde ducat in suam hereditatem, ut ipsum beneficium destruat.

## IV.

Nullus homo alterius Clericum aut hominem recipiat in sua potestate.

## V.

Vt nullus latronem habeat in sua potestate, nec celet.

## VI.

Vt nullus se praesumat perjurare aut falsum testimonium dicere.

Vt nullus contra rectum iudicium audeat iudicare quicquam.

## VIII.

Vt nullus praesumat nocere eum qui rectum Imperatoris dixerit.

## IX.

Vt nullus praesumat alium sine lege opprimere vel aliquid mali agere.

## X.

Nullus homo praesumat aliter vendere aut emere vel mensurare nisi sicut Dominus Imperator mandatum habet.

## XI.

Vt diem dominicum cum omni diligentia custodiat, sicut lex est, vel sicut Dominus Imperator mandatum habet.

## XII.

Nullus fidelitatem quam promissam habet Domino Imperatori infrangat, aut qui infractam habet, non consentiat ei.

## XIII.

Necnon etiam de istis causis paganis quod aliqui observant, ut nullus faciat, nec consentiat facienti.

